Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2861
Quelle:
Copyright:

Atque haec nemo Editorum in ſuis Exemplis reperit.

DCCXCIII.

87 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 148. f. nitide, non tamen eadem manu, nec eadem literarum magnitudine, exaratus varios de *Officiis Eccleſiaſticis Tractatus* complectitur, quos ex ordine recenſebimus. Inſcriptio frontis eſt: *Incipit ordinarius liber. ſecundum modum antiquorum.* Sequitur *Diſſertatio de Temporibus Feſtorum*, et maxime de *tempore inchoandi Adventus* ſcripta, ut ex decurſu patet, a Monacho quodam *Floriacenſi* hoc initio: *Sciendum ſane eſt. et omnibus ordo doxis fidelibus memoriter retinendum* &c. Finit vero ſic: *Contigit namque quodam anno mediante decennouenalis cicli curriculo. ut aurelianenſes canonici. cauſa agente negligencię. in. VI. kl. decembris. aduentum domini inchoarent. Tranſacta quoque illa ebdomm. extitit octaua dies. quę eſt III. N. decemb. Et nos floriacenſes fratres. monachi uidelicet beatiſſimi patris benedicti. initium fecimus aduentus domini. Cumque in craſtinum. quod eſt pridie. N. decemb. feſtum haberetur illationis eiusdem patris* (de hac *Diedericus* Monachus, *Biblioth. Floriac. pag.* 218.) *et prefati canonici tantę feſtiuitati ex amore occurrerent. et nos ex conſuetudine monaſtica. matutinalem celebraremus miſſam de aduentu domini. quem pridie inchoauimus. cęperunt ipſi aurelianenſes ualde inter ſe muſitare. et nos incurię arguere. Sed quia tanta tanti patris ſollempnitas. nos a reſponſione ſuſpendebat. in craſtinum res admodum uentilata eſt. Et quia ſine preſencia eiusdem urbis epiſcopi finiri non potuit. placuit ſine mora omnibus francigenis epiſcopis. apud iam dictam urbem concilium. ſuper aduentu domini agere. Ibi quippe nos floriacenſes. pariter armati auctoritate. et indigladiabiliter parmati affuimus. et ita contra dicentes in omnibus conuicimus. ut eternum eis ſilentium. ſuper hoc negotio imponeremus. Ex illa die et deinceps non eſt apud gallos. uel germanos preſumptor inuentus. qui huic tam ſanę diffinicioni uellet contra ire. quapropter ſi eſt unus dominus. una fides. unum baptiſma. ſit et una eccleſia. una unitas.* Concilii *Aurelianenſis* hic memorati nullam apud Scriptores mentionem invenio.

Fol. 1. p. 2. *Incipit de formula ſecundum quam ſynodus ſancta fieri debet.* Formula haec cum iis, quas *Joacb. Hildebrandus* et *Stepb. Baluzius* ad calcem *Reginonis* edidere, egregie convenit.

Fol. 3. *Oratio ſuper eum qui nouiter inter fratres uenit.* Quam ſtatim excipit *Benedictio ſuper Capſellas et Fuſtes. et ſuper illos qui cum his limina ac ſuffragia ſanctorum Apoſtolorum petituri ſunt.* Per *Capſellas* Thecae Reliquiarum intelliguntur.

Fol. 4. *In Chriſti Nomine incipit Ordo catholicorum librorum. qui in ęccleſia romana ponuntur.* Initium hujus Ritualis ducitur a *Vigilia Natalis Domini*, ejusque potiſſi-